



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Comitvm Par Genere, Potentia, Opibvs, Heroicaq. Virtvte
inclytum B. Godefridus, Vuestphalus, S. Romaricus,
Austrasius**

Serarius, Nikolaus

Mogvntiæ

Cap. V. Quomodo suas res aliquo modo composuerit: & cum suorum vel familiarium vel famulorum pluribus cœnobiu[m] inierit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37252

CAP. V.

*Quomodo suas res aliquo modo com-
posuerit: & cum suorum vel
familiarium vel famu-
lorum pluribus cœ-
nobiū inierit.*

SED antequam Vale huic sæculo ^{MS. l. 3}
posset facere, omnium quas relin- ^{c. 1.}
quere statuebat, rerum componen-
da fuit ratio. Itaque suum filiabus a-
nimum exposuit, & quas ad perpe-
tuae virginitatis custodiam iam pri-
dem magnopere hortatus erat, si-
mulque possessionum suarum, quo-
ad eas, quibus videretur, tribueret,
administrationem amicorum bonis
fidisque commendauit. Sed vniuer-
se omnes ad humanarum rerum cō-
temptionem, idemque secum vitæ
suscipiendum genus inuitabat, sic vt
è familiaribus ac famulis fuerint cir-
citer triginta, qui præeuntem se-
qui

G 5

qui Dominum, cœnobiticamque
cum eo complecti vitam statuerint.
Qua ipsorum voluntate admodum
letatus & cæteros præmiis quidem
pro fideli hæctenus præstito obsequio
maximis affectit, quosdam etiam li-
bertate donauit. Hos vero XXX. ad
cœnobium, quasi suos iam in via Do-
mini socios ac fratres, ducere voluit.
Ipse igitur, die præfinito, cum istis om-
nibus, & duce ac Magistro suo *A-*
mato, in viam se dedit: ad Luxouien-
se Monasterium adiit: se, suosque istos
Eustachio Abbati obtulit, magnopere
rogans, vt ad sanctum illum, qui ab
eo in omni sanctitate ac innocentia
regebatur, cœtum aggregaretur, om-
ne officium, obediẽtiamq;
religiosam ex animo pol-
licens. Et vero im-
petrauit.

(:)

CAP.